

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**Pio X Pont. Max.** in solemnis commemoratione Sancti Iosephi a. MDCCCCXII.

**Religlonis conceptus.**

**Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.** Quia ratione amor finis possit esse simul et naturalis et liber penitus inquiritur.

**Stilli lapidaria elementa.** Litterae inscriptionum singularium et vocabula decurtata.

**Quadam animi inflammatione opus est in artibus ingenuis edocendis.**

**Ludi puerorum apud Italos.** Repagula, vulgo *Trinca*.

**Pii VII Pont. Max.** duplex per regionem Nivernensem transitus.

**Acta Pontificia.** Rubricae in recitatione Divini Officii et in Missarum

celebratione servandae ad normam Constitutionis Apostolice «Divino afflato».

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.** Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

**Diarium Vaticanum.** Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores.

**Annales.** Novae Sinensis reipublicae fata. — In Perside. — Bellum inter Italos atque Turcas.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Aenigmata.**

**Appendix:** Anthea.

## PIO X PONT. MAX.

IN SOLEMNI COMMEMORATIONE SANCTI JOSEPH

A. MDCCCCXII

*Martius vernal, recolitque nomen  
grande Iosephi, DECIMO PIORUM  
inditum, sacro simul ut Lavacro  
prodiit, infans.*

*Ver redux longum, PIE, Te per aevum  
sosp'lem cernat! Sileat, novenne  
qui Tibi regnum fore dixit; annos  
exige Petri!*

*Gaudiis ac Te cumulet supernis  
qui Deus novit, vel acerbiores  
inter aerumnas, recreare laeto  
pectoris sensu.*

*Nuper arrisit Tibi lux serena,  
quo di: lectâ licuit phalange  
purpuratorum viduata Patrum  
scamna replere.*

*Iamque laetandi nova surgit hora:  
sedecim, postquam Labarum refusit,  
acta sunt Orbi memoranda claris  
saecula gestis.*

*Acrier Romam sibi vindicabant  
Caesares bini: Crucis ille Christi  
cultur accedit; colit hic deorum  
numina vana.*

*Ille, Gallorum veniens ab oris,  
voce caelesti monitus, triumphis  
advolat certis, Crucis explicato  
auspice signo.*

*Herculis clavam Iovis atque fulmen  
invocans, alter bovis obtuetur  
exta, felicem paritura, teste ha-  
ruspice, pugnam.*

*Pugni mox fervet, volitatque primum  
spissa telorum crepitansque grando;  
tum micant enses, truciorque saevit  
cominus ira.*

*Milv'um sentis trepidare pontem,  
quo ruunt densi pedites, equorum  
quo ruunt turmae; rubet a profuso  
sanguine Tbris.*

*Hostis at frustra Labarum lacescit ;  
nilque, Maxenti, tibi profuerunt  
impii ritus, nihil et cohortum  
copia maior.*

*Fortior quivis cecidit tuorum ;  
terga verterunt reliqui ; fugamque  
ipse moliris, periturus inter  
fluminis undas.*

*Crux ave victrix ! Helena que fili,  
dic Io festum ! tibi iam triumphos  
Urbs parat laetans, memorem Deique  
unius Arcum. (1).*

*Scribe (quo finem capiat cruentus  
in Crucem Christi furor imperantum)  
scribe Decretum, sua Christianis  
iura daturum.*

*Pontifex at Tu, PIE, vive felix,  
vive securus, Cruce tectus almâ !  
Crux stat et stabit, labefactus etsi  
corruat Orbis.*

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Inscriptio, a S. P. Q. R. arcui triumphali insculpta declarat, viciisse Constantiū *instinctu Divinitatis*. Fuerunt qui dicent, nulla tamen nixi auctoritate, binas illas voces insertas fuisse posterius, quum prius legeretur *Diis faventibus*, vel aliquid simile. Hos tamen errasse, manifeste apparuit anno 1863, quum, curante Napoleone III, hu'us inscriptionis, applicato molli gypso, expressa fuit accuratissima effigies. Tunc enim de mutata aliquando formula ne minimum quidem deprehensum est vestigium. Satis autem fuit Constantino, ne Senatum adhuc paganum offenderet, mentio genericā *Divinitatis*, exclusa deorum pluralitate. Eo enim tempore, christiani ab ethnicis cultores Dei, i. e. unius Dei, appellari solebant. (Cfr. MARUCCHI. *Éléments d'archéologie chrétienne*, Rome 1905, pag. 68-69).

## RELIGIONIS CONCEPTUS<sup>(1)</sup>

Altius Angelicus Praeceptor circa religionis conceptum. Iuxta mentem illius, religio :

a) est virtus quaedam. — In virtutis enim conceptu tum bonitas operantis, tum bonitas operis includuntur : utrumque vero in religione ipsa invenitur. Invenitur bonitas operantis, quia dum homo per religionem Deum colit, in semetipso omnique ex parte fit bonus, idest bene ordinatus relate ad Deum, respectu intellectus qui Deum tamquam primum *Principium* recognoscit; respectu voluntatis quae Deo tamquam *Finis* ultimo adhaeret; respectu partis sensibilis, quia per religionem ipsam totus homo, non sola hominis pars, Deo uti superiori subditur. Invenitur bonitas operis, quia dum per religionem Deus colitur, ei quod ipsi debitum est redditur, et hoc quum iustitia quaedam sit, bonum opus est. « Reddere, - inquit Angelicus - (2) debitum alicui habet rationem boni; quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione convenienti, respectu ipsius, quasi convenienter ordinatus ad ipsum. Ordo autem ad rationem boni pertinet ».

b) Est virtus specialis, — idest ab aliis distincta, quia in religione specialis datur bonitas, quum honor specialis Deo propter excellentiam suam speciale tribuatur. « Deo, - sunt verba Angelici - (3), competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum

transcendit secundum omnimodum excessum. Unde ei debetur specialis honor ».

c) Est virtus moralis. — In virtute enim religionis habetur cultus, qui est « materia et obiectum religionis »; habetur Deus « cui cultus exhibetur. Affertur autem Deo debitus cultus, in quantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam flunt: puta sacrificiorum oblationes.. Unde manifestum est quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cuius obiectum est ultimus finis, sed est virtus moralis, cuius est esse circa ea quae sunt ad finem ». (1)

d) Inter ceteras virtutes morales praeminet, et habet rursus interiores actus quasi principales, exteriores vero actas quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. — Praeminet quia « Religio magis de propinquuo accedit ad Deum quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum ». Habet duplicem actum quia « per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subiicitur... Mens autem humana indiget, ad hoc quod coniungatur Deo, sensibilium manuductione, quia invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut Apostolus dicit (*Rom. 1, 20*). Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus quibus Deo coniungitur ». (2)

\* \* \*

Propter dicta atque ex dictis, concludere fas est, in Religionis conceptu *finem* inveniri qui quidem finis Deus

(1) Cfr. num. sup.

(2) 2-2<sup>ae</sup> p. 81, 6.

(3) Ib. a. 5.

(1) 2-2<sup>ae</sup> p. 81, 6.

(2) Ib. a. 7.

est, cui reverentia exhibetur et in quem actiones utriusque cultus, interni nempe et externi, ordinantur. Invenitur *objecum* eiūdem religionis, id est cultus, quia actiones interni ac externi cultus ipsius religionis virtutis propriae sunt. Inveniuntur actiones tum *immediatae*, tum *mediatae* religionis: primae sunt quas religio elicit, et per quas « homo ordinatur ad solum Deum », sicut sacrificare, adorare; secundae sunt quas religio « mediantibus virtutibus quibus imperat » producit, ordinans eas ad divinam reverentiam, uti visitare pupilos aliaque misericordiae opera. Habetur actio intellectus, quum per religionem Deus uti primum hominis principium cognoscatur, quumque religio ipsa veritatum speculatorum collectionem contineat; et rursus quum inter religionis actus, oratio sit quae propria intellectus est. Habetur actus voluntatis; quia devotio, quae actus religionis est, ad voluntatem ipsam pertinet. Habetur actio sensuum externorum, quum in religione totalis hominis subiectio Deo sit manifestanda, interiores tamen actiones tum intellectus tum voluntatis praeminent in religione inter actiones alias, uti anima superior est corpore.

Errant, qui vel in solis actionibus internis, vel in solis externis, vel in sola actione voluntatis, vel in sola actione intellectus, totam religionem consistere asserunt; homo siquidem, pro quo est religio, neque sola anima est neque solum corpus, sed anima et corpus simul; neque ipsa religio res solus intellectus, vel res solius voluntatis est, sed utriusque simul, quum in religione veritatum collectio, atque in finem tendentia reperiantur. Propterea in S. Thomae conceptu religio definienda est: Virtus moralis qua homo, tum per actiones intellectus, tum per actiones voluntatis, tum per actiones externorum sensuum debitum cultum, debitamque reverentiam Deo exhibit.

REGINALDUS FEI O. P.

## DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM<sup>(1)</sup>

**Qua ratione amor finis possit esse simul et naturalis et liber, penitus inquiritur.**

**MODERNISTA.** — Ergo, te iudice, inter amicos carissime, amor finis potest esse naturalis essentialiter et liber obiective, nisi male intellexerim. Quod assertum fuis a te explanari, propter difficultatem simul et gravitatem peto, si libuerit.

**THOMISTA.** — Ita sit ut petis, carissime. Id tamen obiter praenotatum volo, hanc doctrinam a me explanatam non esse phantasiae partum, siquidem experimentis conscientiae nititur, ubi quis actus proprios analysi subiecerit. Plures quippe de cognitionum nostrorum certitudine dubitant, inter quos omnes praeminent Kantistae et Modernistae, eo quod proprios actus insufficienter perspiciunt.

(1) Cfr. num. sup.

Contendo igitur directum amorem finis non esse quidem sic liberum quod subdatur immediate et sua ratione libero rationis imperio; sed sic esse liberum quod possit impediri indirecte, ubi scilicet per voluntatem interrupsi aut suspendi potest actus cognitionis, unde et suspendi et interrupsi actus amoris. Quod perpetuo asserit Angelicus, contendens voluntatem a nullo obiecto necessitari ad exercitium, quia homo potest de quocumque obiecto non cogitare. Haud secus ubi profitetur voluntatem necessario amare beatitudinem in communi, hoc ita explicat intelligentum, nempe esse quantum ad determinationem actus, non autem quantum ad exercitium actus, quum possit aliquis non velle nunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares sunt. (1)

Hoc adde voluntatem circa determinatum obiectum posse acto suo uti quum voluerit: usus quippe passivus non est liber nisi extrinsece, quum et aliarum a voluntate potentiarum esse possit: unde liber non est nisi obiective et imperative, seu ex libera voluntate causatus.

Quod et aliis terminis reddere possum, hoc dicens, nempe voluntatem, stante apprehensione practica ultimi finis, non posse suspendere omnem sui actum, seu nullum actum eligere: sed posse apprehensionem ipsam practicam suspendere, et huiusmodi apprehensione suspensa, suspendere et omnem sui actum seu amorem circa ultimum finem. Unde voluntas ultimum finem amat necessitate suppositionis, supposita nempe ultimi finis apprehensione practica. Amor igitur boni non est liber intrinsece, sed necessarius: est autem liber obiective quantum ad exercitium. Ubi nempe ultimus finis per apprehensionem practicam fuerit praesens, in eum voluntas necessario tendit; sed vero ipsam praesentia interrupsi potest per apprehensionis interruptionem: unde et interrupsi ipse amor poterit.

Imo addendum est voluntatem agere ad apprehensionem cuiuscumque boni, et in aliquem boni amorem necessario prodire, cum hac sane differentia, quod sicut intellectus est indifferens ad apposita iudicia, circa obiecta non necessaria, ita voluntas est indifferens ad actus amoris hos vel illos, tales aut tales. Supposita quippe apprehensione boni alicuius, voluntas in amoris actum aliquem necessario exit: non tamen ad actum amoris specificati, quia potest tale vel tale exinde amare bonum. Ex quo statim fluit rectum illum amorem fore qui dum in actum propter amorem boni in communi exit, bonum particulare ex iudicio eligat priori bono conforme.

M. — Nonne tamen certum est, etiam manente apprehensione finis ultimi, suspendi posse actum amoris in illum, ut putant nonnulli etiam ex Thomistis theologi?

T. — Errant tamen illi pauci ita opinati.

(1) *Mol.* q. 6.

Nullus sane ex sinceroribus sancti Thomae discipulis fuit qui docuerit voluntatem ad praesentiam obiecti cogniti se posse negative habere simpliciter: dum omnes e contra profitentur eamdem necessario in actum suum exire, siquidem voluntas non exerceat vitam nisi operando, non autem ab omni operatione cessando: vitam vero praesente obiecto exercere debet, quum sit ad agendum. Quapropter voluntas, quocumque obiecto proposito, vel approbat, vel reprobatur, vel per actum positivum illud considerare dimitit et cessat.

Ad obiecti praesentiam natura sua fertur necessario in bonum, ut ex illius amore de amore obiecti particularis decernat, et istud vel approbat vel reprobatur, vel amorem suspendat apprehensione suspensa.

Voluntas, inquam, in quocumque obiecto vult finem seu bonum, atque ex istius amore operatur; neque hunc amorem reprobare potest, neque manente finis apprehensione ab agendo cessare, unde non potest suspendere, nisi ab apprehensione cessando.

Et praeterea, voluntas in bono particulari, hoc bonum in se vel vult, vel reprobatur, vel dimittit, amorem boni in communi retinendo, neque, ubi iudicium practicum dictat hic et nunc unum prae aliis esse eligendum, voluntas non potest amorem istius reprobare aut suspendere, nisi mutetur prius iudicium. Neque hoc erit contra libertatem, siquidem libertas non est potentia componendi opposita ex eodem iudicio, sed potentia admittendi opposita ex iudiciis oppositis.

Istud itaque retineatur omnino, videlicet voluntatem sic esse liberam ad exercitium actus, et ad velle finem, quod tamen in sensu composito, et supposita obiecti apprehensione ex natura sua est determinata et necessitata ad aliquem boni amorem, imo ad aliquam electionem indifferenter et vase, ita ut non possit collective omnem actum suspendere. Unde passim pronuntiant doctores hominem esse sine aliquo amore non posse. Potentia quippe ex natura propria ad operandum ordinatur, et, ubi non impedita non operaretur, ipsamet potentia cessaret, vel saltem propria et connaturali perfectione in se et ex se destitueretur. Quin imo sequeretur nec libertatem, nec voluntatem datas fuisse ad operandum: quod absurdum plane est.

Quapropter tenendum est voluntatem, ubi non erit impedita, ita liberam ad exercitium esse quod hoc vel aliud velle poterit, non tamen ita liberam ad nihil operandum. Unde passim Doctores, imprimis Angelicus, asserunt voluntatem semper aliquid velle praesente obiecto.

Neque obest si voluntas vel malum eligat: etsi enim malum in se contrarietur beatitudini, attamen secundum aestimationem operantis non contrariatur.

M. — Nonne tamen hoc inde sequitur quod homo, ubi beatitudinem in communi necessario amet, Deum similiter amet necessario, ubi ipsi constiterit solum Deum esse in quo reperitur beatitudo?

T. — Etsi tamen reaperte homo amet necessario bonum in communi, non amat necessario bonum in par-

ticulari. Hic autem in terris Deus nobis ut bonum particolare apparet, et tale habetur ex iudicio rationis: quin potius ex alio iudicio rationis Deus dimitti, imo et odio haberit hic et nunc potest.

M. — Sed aliunde, nonne omnis amor boni in particulari supponit in ipso bono aliquid deficiens, unde amor prorsus liber dicendus sit?

T. — Res ipsa sic se habet, siquidem et nos asserimus hanc libertatem obiectivam, quod tamen nihil impedit quominus insimul nonnihil amoris necessarii simul admittendum sit. En sancti Thomae doctrinam: « Bonum quod est obiectum voluntatis est in rebus, et ideo oportet quod motus voluntatis terminetur ad rem extra animam existentem. Quamvis autem res, prout est in anima, possit considerari secundum rationem communem, praetermissa ratione particulari, res tamen extra animam non potest esse secundum communem rationem, nisi cum additione propriae rationis; et ideo oportet, quantumcumque voluntas feratur in bonum, quod feratur in aliquod bonum determinatum; et similiter, quantumcumque feratur in summum bonum, oportet quod feratur in summum bonum, huius vel illius rationis. Quamvis autem ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adiunxit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare; et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter coniungitur ibi appetitus naturalis et appetitus rationalis ». (1)

M. — Experientia tamen testatur, plerumque nos plura inchoare ex solo amore honesti, quin attendamus ad felicitatem: unde falsum appareat primum actum esse naturale.

T. — In duobus deficit illa exceptio. In hoc imprimis, quod inde supponatur hominem aliquid velle posse non amando propriam perfectionem, et felicitatem etiam in ipso amore amicitiae: quod falsum esse diximus et patet.

Iterum deficit quia non distinguit inter amorem ultimi finis secundum substantiam et secundum modum. Finis enim secundum substantiam percipi potest tum confuse, tum formaliter, quum tamen in propria natura non mutetur. Ergo, inquam, contendo hominem agere propter finem, seu perfectionem, seu felicitatem, non quidem clare et formaliter conceptam, sed confuse solum perceptam. Sed de hisce alias.

I. I. B.

(1) IV. *Sent.*, Dist. 49, q. 1, a. 3, ad 3<sup>am</sup>.

## ANTHEA

*Noram Vociis Urbis Appendicem ex fabula  
H. SIENKIEWICZ Poloni:*

EAMUS AD IPSUM  
vid. in pag. 48.

# Stili lapidarii elementa<sup>(1)</sup>

LITTERAE INSCRIPTIONUM SINGULARIUM  
ET VOCABULA DECURTATA

Innumeræ sunt literæ, quæ in veteribus inscriptiōnibus habentur; quibus etiam « Siglorum » nomen attributum est. Sunt etiam vocabula decurtata. Ex his nonnulla tantum seligemus, ea scilicet quæ inscriptiōnibus nostris maxime convenisse videantur, et quorum veram certamque significationem teneamus.

## §. I. — *Inscriptionum sacrarum.*

- A. L. V. S.* Animo libens votum solvit.
- S. P. P.* Sua pecunia posuit.
- C. S. Cum Suis.*
- D. Dedit.*
- D. D. Donum dedit.*
- D. D. L. M.* Donum dedit libens merito.
- D. D. A. L.* Donum dedit animo libens.
- D. L. D. L. D. D.* Donum libens dedit loco dato decreto Decurionum.
- D. P. S.* De pecunia sua.
- D. S. D. D.* De suo donum dedit.
- D. S. P.* De suo posuit.
- Ex Arg. R. V. P. S. P.* Ex Argenti rudis quinque pondo sua pecunia.
- Ex Auri P. III. = et Arg. P. CCVII. =* Ex auri pondo tribus et sextante; et argenti pondo ducentis sex et sextante.
- Ex Vot. Pos. L. L. M.* Ex voto posuit laetus libens merito.
- Ex Vot. L. M.* Ex voto libens merito.
- In H. D. D.* In honorem domus divinae.
- L. D. D. D.* Locus datus decreto Decurionum.
- L. D. P.* Locus datus publice.
- L. L. M.* Laetus libens merito.
- L. L. P. D.* Laetus libens posuit donum.
- L. P. D.* Loco publice dato.
- P. S. D. N. M. Aur.* Pro salute domini nostri Marci Aurelii.
- Q. I. S. S.* Quae infra scripta sunt.
- Q. S. P. P. S.* Qui sacris publicis praesto sunt.
- S. P. F. C.* Sua pecunia faciundum curavit.
- S. P. C.* Sua pecunia curaverunt.
- V. T. F. I.* Votum testamento fieri iussit.
- V. S. L. A.* Votum solvit libens animo.
- V. S. D. D.* Voto suscepto donum dedit.
- V. S. F.* Voto suscepto fecit.
- V. S. L. L. M.* Votum solvit laetus libens merito.
- V. V.* Votum votit.
- V. S. L. A.* Votum solverunt libentes animo.
- XV. Vir. Sac. Fac.* Quindecimvir sacris faciundis.

(1) Cfr. num. sup. anni XII<sup>um</sup>.

## §. II. — *Inscriptionum honorariorum.*

- A. A. A. F. F.* Auro argento aeri flando feriundo.
- Abn. Abnepos — Adn. Adnepos.*
- Aed. Pot.* Aedilicia potestate.
- A. Ra. Mil. Fru.* A rationibus militaris frumenti.
- Aq. Praet. Urbis.* Aquilifer Praetoris Urbis.
- Bf. Prae.* Beneficiarius Praetoris.
- Class. Pr.* Classis Praetoria.
- Coh. I. B. & Eq.* Cohortis primae Britonum milliarii equitatus.
- C. A. F. M.* Copia Augusta felix Mediolanum.
- Corr. Flam.* Corrector Flaminiae.
- Cur. P. P.* Curator Pecuniae Publicae.
- Cur. R. P.* Curator Rei Publicae.
- Dec. Eq. Sing. Imp. N.* Decurio Equitum Singularium Imperatoris nostri.
- Dupl.* Duplarius.
- Fr. D.* Frumenti dandi.
- H. V.* Honore usus, vel usi.
- H. A. I. R.* Honore accepto impensam remisit.
- Imm. II. Hon. IIII.* Immunis iterum honoratus quartum,
- Inl.* Inlustris.
- H. V. S. R.* Honore usus sumptum remisit.
- I. D.* aut *Iur. Dic.* Iuri dicundo.
- L. P. D. D. D.* Locus publice datus decreto Decurionum.
- Mag. Col.* Magister Collegii.
- Mag. Quinq. Coll. Fabr. Sig.* Magister quinquennalis collegii Fabrorum Signariorum.
- N. Natione.*
- N. Nepos.*
- O. H. In R. S. F.* Omnibus honoribus in Republica sua functus.
- P. P.* Pater Patriæ.
- P. P.* Pecunia Publica.
- Pr. Pr.* Praefectus Praetorio.
- Pr. P.* Pro Praetore.
- Praef. Vig.* Praefectus Vigilum.
- Proc. F. C.* Procurator Fisci Caesaris.
- Q. Alim.* Quaestor alimentorum.
- Q. Prov.* Quaestor Provinciae.
- St. XXXV.* Stipendariorum trigintaquinque.
- Tab. XX.* Tabularius Vicesimae.
- V. C.* Vir clarissimus.
- Vet. Aug.* Veteranus Augusti.
- Vice S. I. C.* Vice sua Iudex cognitionum.
- VV. CC.* Viri Clarissimi.
- XX. Haer.* Vicesima haereditatum.
- XL. G.* Quadragesima Galliarum.

## §. III. — *Epitaphiorum.*

- Acie. Desid.* Acie desideratus.
- Amico B. M. F.* Amico bene merenti fecit.
- A. O. F. C.* Amico optimo faciundum curavit.
- A. Cub.* A Cubiculo.

*Ab. Epist. Lat.* Ab Epistolis Latinis.  
*A Lib.* A libellis.  
*B. M.* Bene merenti.  
*B. Q.* Bene quiescat.  
*B. D. S. M.* Bene de se merito.  
*Com. S.* Committoni suo.  
*D.* Domo, dies-passim.  
*D. M. A.* Dolus malus abest, vel abesto.  
*D. S. B. M.* Cum Lacr. P. De se bene merenti cum lacrimis posuit.  
*F. I. D. P. S.* Fieri iussit de pecunia sua.  
*D. S. P.* De suo posuit.  
*H. A. O. F. C.* Haeres amico optimo faciendum curavit.  
*H. E. T. F. C.* Haerèdes eius testamento faciendum curaverunt.  
*H. M. A. H. N. P.* Hoc monumentum ad haeredes non pertinet.  
*H. M. D. M. A.* Huic monumento dolus malus abest.  
*H. M. Ext. N. Rec.* Hoc monumentum externos non recipit.  
*H. M. H. N. S.* Hoc monumentum haeredes non sequitur.  
*H. M. H. Ex. N. S.* Hoc monumentum Haeredem exterritum non sequitur.  
*H. M. S. D. M.* Concessum est. Hoc monumento sine dolo malo concessum est.  
*H. C. E.* Hic conditus est.  
*H. S. E.* Hic situs est.  
*H. S. S.* Hic siti sunt.  
*Inf. Aer. P. R.* Inferat Aerario Populi Romani.  
*In Fr. P.* In fronte pedes.  
*In Lat.* In latum.  
*Lat. P. XX.* Latum pedes viginti.  
*L. Q. V. P. XVI.* Latum quaqua versus pedes sexdecim, vel quadratos pedes.  
*Mil.* Miles, aut militavit.  
*M. P.* Monumentum posuit.  
*N. vel Nat.* Natione, vel natus.  
*O. H. S. S.* Ossa hinc sita sunt.  
*O. P. Q.* Ossa placide quiescant.  
*O. T. B. Q.* Ossa tua bene quiescant.  
*P. P.* Pro parte.  
*P. M.* Plus minus.  
*Q. Q. V. P. L.* Quaqua versus pedes quinquaginta.  
*Q. V. A.* Qui vixit annos.  
*Ret. P. XXX.* Retro pedes triginta.  
*Sibi, et S. P. Q. E.* Sibi, et suis posterisque eorum.  
*T. F.* Testamento fiat.  
*T. F. I.* Testamento fieri iussit.  
*T. P. I.* Testamento poni iussit.  
*V. Vixit, vivus, vivit.*  
*V. F.* Vivus fecit.  
*V. P.* Vivus posuit.  
*V. V. Vale, vale, vale.*

(Ad proximum numerum).

## QUADAM ANIMI INFLAMMATIONE OPUS EST IN ARTIBUS INGENUIS EDOCENDIS

*Qui colis ingenuas artes, praestare memento  
Pervigiles curas officiique decus.*

*Si languet virtus animi, si deficit ardor,  
Tristi saxosam semine spargis humum.*

*Si cupis ingentes doctrina educere fructus,  
Praeceptis studeas ut bene pectus alant.*

*Inter sese una sociatae nexibus artes  
Ingenium firmant exhilarantque animum.*

*Hinc iuvenes alti carpunt sublimia sensu,  
Viribus atque aucti splendida facta ferunt.*

*Hinc illos tentat formae violenta cupido,  
Allicit et verum flammiferis radiis.*

*His studiis freti, tamquam munimine, bella  
Errorum fortis sic superare queunt.*

*Eia age te totum donaque voveque, magister,  
Et stimulus ardens ingere amoris eis.*

*Quid veterum cultu melius? quid purius arte?  
Doctrinas illas vincere quidne potest?*

*Quid maiestatem, splendorem exaequat Homeri?  
Quid Flacci effingit consequiturque iocos?*

*Nonne hic procedit cultus de fonte perenni?  
Nonne hic doctrinae prosilit inde late?*

*Multa queunt animo tristi oblectamina ferri,  
Et studiis quisquis commoda multa trahit.*

*Si maeres, ingensque sedet tibi pectore luctus,  
Perlege scriptores, saepe revolve manu.*

*Insperata simul veniunt tibi gaudia, mulcent  
Quae cor suspensum moestitiamque fugant.*

*Audi, praeceptor: nunquam te taedeat artes  
Coram discipulis concelebrare tuis.*

*Affice sed sensu doctrinas, affice vita:  
Vivifica priscum tempus, et ipse iuvas.*

*Regula multa nocet, plerumque fatigat alumnos:  
Tu potius monstra dulce quid inde fluat.*

*Quid maneat vero, quid spiret docta vetustas,  
Quo fructu viridans sit, meminisse decet.*

*Hoc tantum poteris iuvenes recreare docendi  
More, probra et studiis pellere dira procul.*

Consentiae, Kal. Ian. a. MCMXII.

M. GALDI.

# LUDI PUEGORUM APUD ITALOS

Repagula, vulgo ***Trincea***

Est in more positum apud aliquot Italos genus quoddam ludorum, quod belle rem militarem refert. Hoc tamen variis nominibus adpellatur: sed suam semper originis effigiem in fronte retinere videtur. Namque passim italice *trincea* dicitur, nunc quoque *barra*, quae latino sermone recte interpretari possumus vel aggerem, vel repagula, vel denique saepum. Omnia autem haec tria vocabula, uti cuique perspicuum est, in idem facile vertunt.

Hic ludus eo quod maxime exhilaret iuventutem nostram, multumque eius artus lacertosque exerceat, cuique apprime adprobatur. Duae sunt admodum acies. Quum autem nunc acerrimum bellum exardescat Italorum adversus Turcas, et ubique gentium in Italia *furo* *arma ministret*, haud raro accidit, ut altera pars Italorum nomen in honoris gloriam sibi vindicare prae-sumat, altera vero quasi in ignominiam aegerrime Turca nuncupari cogatur.

Primum vero dimicantes utriusque certaminis sorte sunt eligendi. Hinc inde duo ludorum principes, qui plerumque praeter ceteris primas in cursu referre con-sueverunt, vel digitis micando, vel par impar ludendo, socios aptiores sibi adiungere student. Omnes enim pugnatores, quoad fieri poterit, virtute pares, bini bini adsunt sortes experientes, utrum inter Italos sint pulcrius adnumerandi, an potius inter Turcas. Vide quam a teneris nostri de more belli assuecent!

Viribus ita pariter sorte distributis, binae acies ordinatim saepa sua petunt, ibique e regione in suo loco stant, signum proximae luctae magnis arrectisque animis exspectantes. Tunc demum duo principes in me-dium alacres progressi, ut olim apud Romanos feiales, nobili incessu, manibusque simul consertis, elata voce dant certaminis initium, exclamantes: « Ad arma! »

Sic incipit pugna. Ut in veris iustisque pugnis fieri consuevit, adsunt qui hostes ad decertandum provocant, ut ex suis aggeribus in medium aciem progrediantur, et qui, arrepta occasione, clamoribus eos lassent. Verum et in hoc parvo certaminis simulacro, primum timidiores exeunt, quique minus cursu valent, et modo quum periculum adest, quum lis in acie fervescit, tunc ferociores adparent, qui arte et pedibus prae-stantiam suam in adversarios alacriter expromant. Tunc vero dicendum: *Caeco pulvere campus miscetur!* Qui pugnantum globus! Quae animorum sollicitudo, quum, mira alternante vice, alii alios raptim velociterque succedentes urgent.

Et unusquisque pro viribus industriam suam, perilitatur. « Pugnat ad exemplum primi, minor ordine, pili! »

Sed quorundam haec, et quae est pugnandi ratio?

Paucis absolvam. Quum quis in aciem provocans ingreditur, cavere debet ne eum alter offendat, qui ex aggere, quem optime metu quoque vocaveris, posterior recessit. Unusquisque enim in eum unice decertare poterit, qui priore tempore in aciem venerit. Hunc si tu vel leviter manu tetigeris, tuus evadet captivus. Verum saepe saepius fit, ut alias ex improviso astute vel abscondite citra exspectationem adversus te procedat, qui te ipsum paulo ante progressum pugna meliorem praeoccupet. Quod quidem vel inter hostes cruentis in pugnis evenit, sieque fortuna ferre consuevit.

Qui ita captus est, illico e certamine, velut vulnere confossus, secedit, atque in locum se confert, ubi apud hostes designata est custodia captivorum, ibique veluti in otio inglorioso sistit, usque dum a suis in libertatem vindicetur, vel ab alio suae partis substituatur. Quod quidem magnum erit dedecus. Huc in posterum frequen-tiores pugnantes tendunt, animoque pedibusque con-currunt, ut suos tandem liberent. Quot in mediis cona-tibus felicissime pro captiuis liberandis succedunt! Quam studiose rapideque caeptum saepe iter recurrunt, ut aliis validiores efficiantur! Sic pugna acrior fit, atque cer-tantium densior apud captivorum custodia: hinc ut pro viribus defendant et tueantur; inde ut in libertatem vindicent. Quum unus post alterum est in acie captus, et quum forte duo admodum principes evaserint, hinc optime cum Vergilio dixeris:

*Et certamen erit Corydon cum Tyrside magnum!*

Si enim casu hic vel ille princeps inter pugnandum captus sit, tunc ab alio consulte atque suo ingenio substituitur. Dedecus est et maxime intolerandum, prin-cipem in custodiā detruī!

Tunc quum res ad ipsos pervenit, quod de Achillis certamine cum Hectore clarissimis luminibus ab Homero describitur, succedit ob oculos tuos. Adsunt enim duo omnium peritissimi in cursu, et in ipsis dolis parandis ac detegendis. Illuc nunc ire adnuit quum reapse alio adgreditur: hic ocior aura laudatur, ille astutia maxime spectabilis, et quod sit paratior fugas tegere, et praelia belli disponere. Ad metu nunc ipse fingit aliquando redire, quasi si vires resumere vellet; at tunc audacior recurrit atque ad captivorum custodiā maiori animo adecurrit. Et omnes hinc inde voce, clamoribus, socium suum ad victoriam incitare, animosque adiungere, et currentibus calcaria addere.

In his enim duobus omnis omnium spes et gloria inest, laudumque arrecta cupidō.

Si quis forte vel dum aerius in altera parte pugnatur, vel rectissime, nullis impedientibus ad captivos pervernit eosque liberaverit, facillime suis victoriam referet. Tunc hi possunt ad pugnam instaurandam redire, et hilares inter omnium plausum, veluti agmine facto, fortissime in adversarios impetum facient, quos vexabunt et ad incitas redigent. Pars quae decem in acie socios perdidit neque in libertatem vindicavit, inferior

decidit. Quae numerum compleat, praesertim si viribus omnibus animisque virescunt, victrix proclamat. Tunc magna in cavaedio ex spectatoribus exoritur ad clamatio*i*s, qui adversarios domuerunt atque supergressi sunt, et manifesta properant signa laetitiae gerentes. Sic Romani olim, bellandi studiis immanes et feri, nisi militiam spectabant atque a mollioribus artibus aberant.

Utinam nepotes ex tot calamitatibus vel inter ludos duram militiam experiantur, et possint tandem emer gere, atque ad spem futurae amplitudinis adsurgere !

SUBALPINUS.

## PII VII PONT. MAX.

### DUPLEX PER REGIONEM NIVERNSEM TRANSITUS

Occupant Nivernates in Gallia centrali territorium, quod, ante inventas ferrivias, percurrebant viatores qui, ex Italia profecti et Lugdunum praetergressi, Lutetiam Parisiorum recta petere vellent. Hac autem via usus est Romanus Pontifex Pius VII in duplice suo itinere Gallico : primum quidem, quum sub finem anni MDCCCV triumphali cum pompa deductus est Parisios, ubi coronam imperatoriam Napoleoni I imponeret, iterumque post septennum, quum ab ingrato imperatore e custodia Savonensi Fontem Bellaqueum (*Fontainebleau*) captivus traheretur.

Utrumque Pontificis iter non pauci descripserunt auctores, quos inter eminet Cardinalis Pace. Iter tam Nivernense nemo tam copiose illustravit, quam sacerdos Nivernas I. M. Meunier, litterarum doctor, qui hoc super argumento librum edidit, postquam diligentissime civilia et ecclesiastica exploraverat archiva, et seniores regionis interrogarat, qui res gestas aut vidissent ipsi, aut a testibus ocularibus narrata audivissent. (1)

Universum Pontificis iter, ut ote ampliter ab aliis enarratum, auctor breviter absolvit ; transitum vero Nivernensem copiose describit et testimoniis illustrat.

\* \*

Die igitur II Novembris a. MDCCCV, Pius VII, annos tum natus LXII, postquam in Basilica S. Petri diu oraverat, hora nona antemeridiana per portam Angelicam ex Urbe profectus est. Aderat secus viam, usque ad tertium fere milliarium, immensa Romanorum multitudine, quae sibi benedictionem apostolicam exorabat atque augusto viatori prosperum iter adprecabatur. Comites erant Pontifici sex Cardinales, aliquique frequentes numero Antistites et sacerdotes ; item complures ex optimatibus Urbis, inter quos Sacchetti marchio,

totius ordinandi itineris administer. His accedebant medicus, chirurgus et famuli quindecim.

Viatorum rhedae, ne confusio oriaretur, tripartite procedebant ; nec eodem die manipuli omnes ex una ad alteram stationem vehebantur, ne forte locus deesset universis in eadem mansione pernoctantibus. Sic Pontifex Italiam pertransivit, paullisper moratus Florentiae, Pistorii et Mutinae ; declinata vero urbe Bononia, quam, Sedi Apostolicae iamdiu raptam, Napoleo detinebat. In ipsa Italia obvios habuit Pontifex tres legatos ab imperatore missos, quorum unus Cardinalis Cambaceres, alter d'Aboville senator, tertius magister caeremoniarum Salmatoris. Die XIX Novembris, Pius VII, superatis Alpibus, Lugdunum advenit, ubi inter festas populi acclamations a Cardinali archiepiscopo Fesch magnifice fuit exceptus. Hic tamen luctum expertus est, erepto e vivis comite purpurato Cardinali Stephano Borgia.

Capto Lugduni vix otio unius diei, Pius VII versus regionem Nivernensem contendit. Huius territorii praefectus singulis oppidorum et vicorum magistris, per quorum fines Papa esset transiturus, litteras miserat, ab auctore descriptas. Iussi erant memorati magistratus obviam ire Pontifici cum suis consiliariis et militia nationali, idque curare, ut praesto essent in omni statione tot equi, sive rhedarii sive sellarii, quot opus essent ; equorum autem numerus erat fere centum. Statim ut Pontifex apparebat, populus, qui ex tota vicinia accruraverat, benedictionem Vicarii Christi implorabat, et sacerdotes ac magistratus eidem certatim gratulabantur. Interea e templis sacra resonabant aera et tormenta bellicia tonabant.

In singulis quoque vicis urbibusque, hic fere tenor erat mandatorum, quae magistratus ediderant :

« Ut quisque civium ante suam domum viam evereret, utque publicus purgamentorum collector sordes omnes asportaret ; ut lignorum strues, tumuli arenae, sterquilinia, carri et genus omne impedimentorum a viis amoverentur ; ut, quoad Pontifex maneret, labor omnis servilis omitteretur ; ut sub noctem aedificia publica et privatorum domus atque officinae accensis luminibus ornarentur ; ut in diversoriis benigne exciperentur advenae Pontificem opperientes ; ut post horam nonam vespertinam, capo nullus potum cibumve cuiquam ministraret aut cantare quemquam sineret ; ut tandem, quo tempore Pontifex eiusque comitatus quietem nocturnam caperet, excubiae vicinas observarent vias, nec currum ullum aut rhedam illac transire et strepitum edere permitterent ».

Ceteri eventus triumphalis huius itineris omnibus noti sunt : adventus Pontificis in urbem Fontainebleau die XXV Novembris ; coronatio Napoleonis die II Decembris, et post quadrimestrem Parisiensem moram redditus Pii VII in suam Sedem Romanam die XIV Maii.

\* \*

At iam sequamur, duce Meunier, alterum Pii VII iter gallicum, a priore eheu ! quam diversum !

(1) *Les Passages du Pape Pie VII dans la Nièvre, 1804-1812 par l'abbé J. M. MEUNIER.*

Inde ab anno MDCCCIX, superbus et beneficiorum immemor Napoleo Pium VII captivum abduxerat Savonam, disperso hac et illac sacro Cardinalium Collegio. Quum tamen urbs illa maritima incursionibus Anglorum pateret, sub noctem diei IX Iunii a. MDCCXII, iussus est septuagenarius Pontifex in interiore Galliam transferri; idque clam omnino, ne resciens populus captivum liberaret, et incredibili celeritate, qua factum est ut venerandus senex in maximum vitae disserimen connectus fuerit. Hanc ob causam aegroto Pontifici, in hospitio Cenisii Montis, praeter medicum comitem accitus quoque chirurgus adiungi debuit. Ceterum nihil immutatum fuit in praecipiti illa itinerum velocitate. (1) Equi mutabantur extra loca habitata, urbesque et pagi raptim percurrebantur, ne quisquam Captivum salutare aut etiam agnoscere posset. Cui tamen, variis in locis agnito, signa protinus exhibita fuerunt religiosae pietatis et observantiae.

His enarratis, auctor peculiarem eventum describit, cuius testes ipsius fuerunt maiores, avus nempe et abavia. Haud longe ab urbe Nevers, Lutetiam versus, pagus iacet nomine Tronsanges, cuius pars est Barbeloup, locus solitarius, ubi, sub principio saeculi XIX, tres solae existebant habitationes. Ex his una adnexam habebat officinam ferrariam, alia cauponiam tabernam, ibique viatoribus, publico curru utentibus, praesto esse solebant equi recentes, lassatis ex itinere subrogandi. Fabro ferrario nomen erat Colin, apud quem artem discebat scriptoris nostri avus, puer tum annorum duodecim. Uxor autem fabri, paulo post viduata, viduo nuptura erat patri tirunculi nostri ferrarii.

Huc igitur die XIX mens. Iunii MDCCXII, hora post meridiem fere tertia, sub ferventissimo aestu, tres citato cursu properabant rhedae viatoria, quarum prima am-



Columna ad oppidum Tronsanges erecta in memoriam Pii VII P. M.

prior ceteris, sex vehebatur equis. Quae cum ad officinam ferrariam pervenissent, illico constiterunt, propterea quod unus ex equis esset calceandus. Illicet domo exierunt faber cum suo tirone, et uxor quoque, strepitu curru et feminina curiositate attracta. E tertio tum curru aliquot viri militaris ordinis desilierunt; eorumque dux, insignia gerens legionis, ut aiunt, honorariae, quum ad currum maiorem accessisset, eiusdem ostium clave aperuit. Inde prodierunt vir saecularis et duo sacerdotes, quorum alter senex macilentusque admodum et viribus prope destitutus. E secunda rheda alii descenderunt viri ad eumdem comitatum pertinentes.

Senex autem ille Pius VII erat, veste talari nigra indutus, nullisque Romani Pontificis (sic enim iussérat Napoleo) insignibus ornatus; sacerdos alter erat archiepiscopus titularis Edessensis, Rmus. Bertazzoli; virorum laicorum unus erat archiater pontificius, nomine Porta; alter chirurgus Claraz, itineris comes a discessu ex hospitio Montis Cenisii; tertius et quartus, famuli Pontificii Hilarius et Vincentius. Custodes autem venerandi Captivi chiliareus erat Lagorse cum duobus centurionibus.

Quum in eo loco solitario equi mutandi essent, spatium quietis Pontifici concessum est trium fere horae quadrantum. Quanta autem defatigatio septuagenerii viatoris fuerit, ex hoc coniici potest, quod illi nunc primum licuit e rheda descendere post

quatriduanum iter, noctu diuque sine intermissione confectum. Quum sol ardentius ferveret, Pontifex cum archiepiscopo, duabusque medicis et utroque famulo sub vicina consedit eaque annosa ceraso, cuius baccae iam maturescebant. Unus e famulis scyphum lactis et duo ova pro suo domino petierat a fabro; cuius uxor, quae non secus ac ceteri dignitatem venerandi senis ignorabat, at suspicabatur eum fore virum conspicuum, vicinam accessit cauponiam, utpote quae leges urbani moris melius calleret. Allatum ergo est frugale prandiolum, adstantibus fabro Colin cum sua uxore et tirone Petro

(1) Haec velocitas tanta fuit, ut intra viginti quatuor horas superatum fuerit spatium centum chiliometrorum; quantum nempe intercedit inter hospitium Montis Cenisii urbemque Chambéry.

Meunier ac muliere cauponaria. Sumpta refectione, venerabilis senex puerum accedere iussit, a quo gallice percontatus est quot annorum esset. - « Duodecim », - respondit ille. Cui senex: - « En tibi duodecim nummos ex aere, quot nempe annos exegisti: habe eos uti mne mosynon Papae hac transeuntis ». Statim vero ut Papae nomen audierunt, puer ipse (scriptoris nempe avus) itemque faber cum uxore Carolina et muliere caponaria ad venerandi senis pedes se proiecerunt, eius benedictione inter lacrimas implorata. Quibus omnibus Pontifex effuse benedixit; simulque uxori fabri libellas quatuordecim remisit, his verbis: « Quod Christi Vicario fecisti, id Deus tibi retribuet ».

Paulo post, adiunctis equis recentibus, tres rhedae quae suos vectores iterum exceperant, cerneret iter suum celerrime prosequi. Interea testes nuntium festinabant deportati Pontificis per loca vicina deferre. Carolina autem, quae postea, mortuo primo marito, avia facta est narratoris, unam ex libellis argenteis, quae Pii VII effigiem ferebat, collo suspensam, quandiu vixit, veluti sacram reliquiam gestavit.

\*\*

Quinque decennia et amplius effluxerant, ex quo Pius VII sub historica ceraso loci Barbeloup acquieverat, atque arbor illa, longe lateque cognita, vetustate tandem perierat. Ne igitur memorandi eventus memoria intercederet, magister vici Tronsanges aliquae cives statuerunt in eodem loco columnam marmoream erigere. Huic columnae, quae alta est quinque fere metra unoque constat lapide, imposita sunt arma pontificalia, tiara nempe et apostolicae claves cum cruce, affabre omnia sculpta; eidem vero supposita est basis altitudinis duorum metrorum, in qua binae leguntur inscriptiones, altera latina, gallica altera eundem tamen sensum referentes. Prior ita sonat:

HIC  
DIE XIX IUNII MDCCCLXVII  
PIUS VII P. M.  
PEREGRINUS ET AEGROTANS  
MODICO LACTE REFICIEBANTUR.

Aream circa columnam ferrei sepint clathri non inelegantes. Columnam ipsam, solemini auctam benedictione, inaugurarit die xix mens. Iunii MDCCCLXVII, episcopus Nivernensis Augustinus Forcade, uti ibidem inscriptum legitur. Idemque Praesul, decantato psalmo Quare fremuerunt gentes coram frequentissimo populo eloquentissimam concionem habuit in haec Isaiae prophetae verba: *Et venient ad te, curvi, filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum* (Is. LX, 14). Peracta sacra caeremonia, episcopus Petrum Meunier, scriptoris abavum illiusque filios et nepotes, qui frequentes aderant, ad se accivit, iisque declaravit, paratum se esse, si quis iunior ex eorum familia ad statum ecclesiasticum vocatum se crederet, ipsius educationem suscipere et expensas ferre studio-

rum omnium. Inter familiae adolescentes, qui praesentes aderant, ad statum ecclesiasticum nemo quidem vocationem hanc persensit; sors tamen haec scriptori nostro contigit, qui tunc quinquennis domi remanserat, quemque mox alii pueri, ut res innnotuit, nomine parochi salutare cooperunt, quo ille titulo non parum gloriabatur. Ac paulo post, quum episcopus Nivernensis Romam ad sacra limina venisset, et Pio IX omnia narrasset de itinere Nivernensi eius Praedecessoris deque erecta columna et promissione facta, Pontifex, animo commotus, impensas educandi clerici sibi ipsi voluit servatas, assignata pensione ex stipe S. Petri in dioecesi Nivernensi colligenda. Sic alumnus ille voti compos fuit sacerdotio initiatu anno MDCCCLXXXVII. Tanta quidem liberalitate Pius IX remuneratus est scyphum lactis, peregrino Antecessori olim ministratum!

F. R.

## ACTA PONTIFICIA

### RUBRICA E

in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis Apostolicae « *Divino afflatu* ».

(Cfr. num. sup.)

### TITULUS VI.

*De Commemorationibus.*

1. In Duplicibus I classis non fiat commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut Dominica quaevi, etiam per annum, aut Duplex I vel II classis, aut dies Octava alicuius Festi Domini primarii, aut dies infra Octavam privilegiatam, aut Feria maior. In occurrentia fiat tantum commemoratione de Dominica quacumque, de Octava privilegiata et de Feria maiori. De sequenti vero officio (etiam ad modum Simplicis redacto) fiat semper commemoratione, minime autem de die infra Octavam non privilegiatam aut de Simplici.

2. In Duplicibus II classis de praecedenti Officio semper fieri debet commemoratione, nisi fuerit de aliquo Festo Semiduplici, vel de die infra Octavam non privilegiatam. In ocurrentia fit commemoratione de quavis Dominica, de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum Simplicis redacto, de Octava privilegiata, de Feria maiori et de Vigilia: de Simplici vero fit tantum in Laudibus et in Missis privatis. De sequenti autem Officio quilibet, etiam Simplici vel ad modum Simplicis redacto, fit semper commemoratione, ac etiam de die infra Octavam, si in crastino Officium de ea agendum sit; et tunc cum Antiphona et Versiculo e I Vesperis Festis.

3. Licet Festa Domini eorumque Octavae privilegio gaudeant ut in occurrentia praevaleant Dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes (cauto quod in Vespere semper fiat prima commemoratione de Officio concurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis), tam in Vespere, quam in Laudibus et Missa hic ordo servetur: 1.<sup>o</sup> de Dominica qualibet; 2.<sup>o</sup> de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3.<sup>o</sup> de die Octava; 4.<sup>o</sup> de Duplici maiore; 5.<sup>o</sup> de Duplici minore; 6.<sup>o</sup> de Semiduplici; 7.<sup>o</sup> de die infra Octavam communem; 8.<sup>o</sup> de Feria VI post Octavam Ascensionis; 9.<sup>o</sup> de Feria maiori; 10.<sup>o</sup> de Vigilia; 11.<sup>o</sup> de Simplici.

## TITULUS VII.

*De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano et de tertii oratione in Missa.*

1. Quando eadem die occurunt plura Officia, quae propriae habeant conclusionem Hymnorum vel proprium Versum ad Primam, conclusio et Versus dicantur, quae propria sunt Officii, quod ea die recitatur.

2. Deinceps, quando facienda erunt Suffragia Sanctorum, unum tantum fiet Suffragium, iuxta formulam propositam in Ordinario novi Psalterii.

3. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in Festo SS. Trinitatis et in Dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est Officium salva exceptione, de qua n. sequenti.

4. Quando in Dominica fit commemoratione de aliquo Officio Dupliei, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, emittuntur Suffragium, Preces, Symbolum Quicunque et tertia Oratio in Missa.

## TITULUS VIII.

*De Officiis votivis deque aliis Officiis addititiis.*

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causae cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 Iulii 1883 p o Officiis votivis, haec ipsa Officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur.

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus praescripiis, Officium parvum B. Mariae Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos Graduales ac Poenitentiales. Capitula vero, quae ad ista Officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum.

## TITULUS IX.

*De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiae et de Patronis.*

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente : a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplice I classis, absque tamen Octava.

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicæ sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur.

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis, et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt. absque tamen Octava.

## TITULUS X.

*De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis.*

1. In Dominicis, etiam minoribus, quodecumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel eius dies Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominicis cum commemoratione festi. Quod si festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio.

2. In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis (non tamen I vel II classis) aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis: quae item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicæ. In Quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in Kalendario Ecclesiae, in qua Missa celebratur.

3. Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominicis minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominicis ne omittatur. Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratione aut Dominicæ, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur.

4. Ad Missam Dominicæ etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum maioris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicæ, cum Praefatione SSmae Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavæ alicuius Festi Domini.

5. Leges pro Missis Defunctorum in cantu, immutatae manent. Missae vero lectae permittuntur in Duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit Festum de praeepto, aut Duplex I vel II classis, vel Feria excludens Duplicita I classis. Quoad vero Missas lectas Defunctorum dicendas diebus ritus Semiduplicis aut Simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in Feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi Missis de Feria orationem addi pro Defunctis, pro quibus Sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis. Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae Defunctorum debuerint hueusque in nigris celebrari, Summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis. In reliquis autem Feriis per annum n. 2 non exceptis, nec non in Semiduplicibus, infra Octavas non privilegiatas et in Simplicibus, Missae Defunctorum sicut et aliae Missae votivae dici poterunt iuxta Rubricas.

## TITULUS XI.

*De Collectis in Missis.*

Quod ad Collectas ab Ordinariis locorum imperatas attingit, deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi praescriptae) non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in Duplicibus I classis, sed etiam in Duplicibus II classis, in Dominicis Maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa dicendae sint plus quam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae.

## TITULUS XII.

*De Missis Conventualibus.*

In Ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant; aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicaem; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litanis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Electionis et Consecrationis seu Translationis Episcopi, nec non in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canoniconorum; omnesque Missae ex fundatione.

## TITULUS XIII.

*De Commemoratione Omnis Fidelium Defunctorum.*

1. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, omissis Officio et Missa diei currentis, fit tantum Officium cum Missa pro Defunctis, prout in Appendice novi Psalterii praescribitur.

2. Si die 2 Novembbris occurrat Dominica vel aliquod Duplex I ciassis, Commemoratio Defunctorum celebrabitur die proxime sequenti, similiter non impedita; in qua, si forte occurrat Duplex II ciassis, hoc transfertur iuxta regulum traditam Tit. III n. 3.

## PRAESCRIPIONES TEMPORARIAE.

I. Kalendaria uniuscuiusque Dioeceseos, aut Ordinis seu Congregationis Breviario Romano utentium, pro anno 1913, ad Regulas supra traditas omnino redigenda sunt.

II. Diebus Dominicis quibus in Kalendariis proximi anni 1912 inscribuntur, sub ritu Duplici maiori vel minori, Festa Sanctorum, vel Angelorum, vel etiam B. Mariae Virginis, vel dies Cetava, quae non sit Festorum Domini, tum Officium in privata recitatione, tum Missae lectae erunt ad libitum, vel prout notatur in Kalendario anni 1912, vel de Dominica cum commemoratione duplicitis majoris aut minoris. In Fieriis quoque, de quibus Tit. X n. 2, Missae privatae celebrari poterunt, ut ibi adnotatur.

III. Quod Tit. XIII harum Rubricarum dispositum est quoad Commemorationem Omnis Fidelium Defunctorum, inde ab anno 1912, in usum omnino deducendum est.

IV. Usque dum nova correctio Breviarii et Missalis Romanorum, a Sanctissimo Domino Nostro decreta, vulgetur:

a) Kalendaria perpetua Sacrae Rituum Congregationi reformanda et approbanda deferri non debent;

b) De Festorum augendo ritu, vel de Festis novis invehendis nulla fiat postulatio;

c) Festa particularia, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum aut Beatorum, ritus Duplicitis majoris aut minoris, Dominicis diebus assignata, locorum Ordinarii seu Superiores Regularium, aut in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa commemoranda praescribant; aut in aliam diem, validis S. R. C. oblatis argumentis, trasferenda current; aut potius omittant.

d) Nulla interim facta correctione Rubricarum, Regulae superius traditae in novis Breviariis et Missalibus post Rubricas Generales inserantur, omissis S. R. C. Decretis, quae hucusque in principio Breviarii inserta inveniuntur;

e) In futuris Breviarii editionibus mutentur, ob novam Psalterii reformationem, sequentes Antiphonae in Laudibus:

*In Dominica Sexagesima:**Ant. 5. In excelsis \* laudate Deum.**In Dominica III Quadragesimae:**Ant. 3. Adhaesit anima mea \* post te, Deus meus.**In Dominica IV Quadragesimae:**Ant. 3. Me suscepit \* dextera tua, Domine.**In Feria IV Maioris Hebdomadae:**Ant. 3. Tu autem, Domine \* scis omne consilium eorum adversum me in mortem.**Art. 5. Fac, Domine, \* iudicium iniuriam patientibus: et vias peccatorum disperde (1).*

(1) Quum ob reductionem Festorum ad tramitem *Motu proprio de Diebus Festis* et Decretorum S. Rit. Congreg. d. xxv et xxviii mens. Iulii MCMXI, attenta etiam Constitutione Apostolica *Divino afflatu*, ne oriretur confusio; necesse esset nonnullas speciales Breviarii et Missalis rubricas novis dispositionibus aptari, S. Rit. Congr., — firmis manentibus quae decreta sunt in hisce Praescriptionibus temporariis n. IV, — per decr. Urbis et Orat. editum die xxiii mens. Ianuarii MCMXII, easdem vulgavit, praecipiens ut in novis Breviarii et Missalis editionibus imprimendis insererentur.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

## SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

## Ex Congregatione Consistoriali.

*Decretum circa relationem super Modernismo a locorum Ordinariis S. Sedi exhibendam.*

Dubitantes nonnulli Sacrorum Antistites, num ipsi duplē teneantur relationem super Modernismo Apostolice Sedi exhibere, id est alteram quolibet triennio, a constitutione *Pascendi dominici gregis* die viii Septembris MDCCCCVII et a Motu proprio *Sacrorum Antistitum* die i Septembris MDCCCX praescriptam; alteram vero singulis quinquenniis una cum relatione de statu suaue dioecesis iuxta huius S. C. decretum *A remotissima Ecclesiae aetate* diei xxxi Decembris MDCCCVIX, rem S. Sedi subiecerunt dirimendam. Quum autem subsignatus Cardinalis Secretarius id SSmo. Dno. N. Pio PP. X retulisset, hic, ad omnem animi anxietatem ac dubitationem tollendam, declarare et, quatenus opus sit, statuere dignatus est, locorum Ordinarios, quo anno relationem de statu suaue ecclesiae peragunt, simul satisfacere posse obbligationi quae ex supra memoratis constitutione *Pascendi dominici greg's* et Motu proprio *Sacrorum Antistitum* exoritur, atque idecirco relevari ab onere exhibendi triennalem relationem super Modernismo ibidem statutam; idque per praesens decretum S. C. Consist. constitui et promulgari iussit; contrariis non obstantibus quibusvis. — Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C. d. xxx mens. Ianuarii an. MCMXII. — C. Card. de Lai, Episc. Sabinen; *Secretarius*. — Scipio Tecchi, *Adssessor*.

## Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. i mens. Februarii MCMXII damnatum, proscriptum atque in Indicem librorum prohibitorum relatum est opus, quod inscribitur;

MARIO PALMARINI, *Quando non morremo.* — Romanzo eroico. — Milano 1911.

— R. d. L. Duchesne, cuius opus *Histoire ancienne de l'Eglise* notatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est deer. d. xxii mens. Ianuarii MCMXII, laudabiliter se subiecit.

### Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

*Litterae circulares circa Missas de Requie pro defunctis in bello Tripolitano.*

Quum saepe saepius a S. Rit. Congr. exquirantur facultates celebrandi Missam de Requie pro defunctis in bello Tripolitano Dominicis aliisque festis de praecēpto, in quibus haberi potest maior fidelium frequentia; Sacra eadem Congregatio monet Rmos. locorum Ordinarios quod SS. D. N. Pius PP. X hisce precibus ac votis cleri plebisque fidelis clementissime deferens, quum sancta et salubris sit pro defunctis exoratio, quae etiam afflitos moerore propinquos erigit, benigna dispensatione a regulis liturgicis indulta, permettere dignatus est, ut tum Dominicis, non tamen privilegiatis primae classis, tum aliis festis de praecēpto, quae non sint duplia prima vel secundae classis, una Missa de Requie cum cantu et subsequenti Absolntione ad tumulum, in Ecclesiis seu Oratoriis publicis iuxta prudens respectivi Ordinarii iudicium, celebrari valeat; servatis de cetero Rubricis. Mandat autem ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus, etsi fiant diebus a ritu permissis, nemo, cuiuscumque sit dignitatis, sermones aut funebres orationes, in quibusvis Ecclesiis seu Oratoriis habere praesumat. — Dat. d. iii mens. Februarii MCMXII.

### DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMXII).

#### Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui, sui quisque munēris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Franciscus et acobus e marchionibus Serlupi-Crescenzi; Du Paty marchio; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus; Donagrière de Matternik-Winnerburg princeps foemina; Giustiniani-Bandini, Urbanus princeps, eiusque familia; Clemens, Aloisius, Franciscus et Ioannes e marchionibus Sacchetti; Fridericus De Solms, princeps; Clemens Geyr, dynasta; De Bardi marchio; De Faval marchio; Carafa de Andria comes, eiusque uxor; Sanctae Severinae dux; Radziwill princeps foemina eiusque filia; Flavius Durazzo, marchio eiusque familia; Waresquil comes eiusque uxor; Otho-zu-Oettingen, princeps; peregrinorum manus ex dioecesi Atrebatensi.

#### Pontificiae electiones.

*Provisio Ecclesiarum.* — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur

ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae episcopali Thebanae praefecit rmum. Vincentium Pisani, iam episcopum Anglonensem et Tursiensem; cathedralibus ecclesias Melphiensi et Rapollensi sac. Albertum Costa, dioec. Burgi S. Domini, ibidem vicarium generalem et canonicum ecclesiae cathedralis; tit. eccl. archiep. Edesseneae rmum. Thomam Pium Boggiani, hactenus episc. Adriensem; tit. eccl. archiep. Anazarbensi rmum. Claudium Iosephum Gonzalves Ponce de Leão, hactenus archiepiscopum Portalegrensem in Brasilia; metropolitanae eccl. Senonensi rmum. Ioannem Victorem Aemilium Chesnelong, hactenus episc. Valentinensem; tit. eccl. ep. Thermensi sac. Ioseph Météreau, civitatis Burdigalensis, ibique archipresbyterum eccl. S. Michaëlis Archangeli, quem constituit auxiliarem rmi. Renati Francisci Renou, archiep. Turonensis; cath. eccl. Richmondiensi rmum. Dionysium O' Connell, hactenus episc. tit. eccl. Sebastensis; cath. eccl. Cheyennensi sac. Patritium Aloisium Mac Govern, dioec. Omahensis, ibique rectorem eccl. cathedr.; cathedr. eccl. Guayaquilensi rmum. Ioannem Mariam Riera, hactenus episc. Portus Veteris, atque cum indulto retinendi administrationem eiusdem dioecesis Portus Veteris ad S. Sedis nutum; tit. eccl. Sebastensi sac. Adulphum David, dioec. Montis Pessulanii, ibique vicarium generalem, quem constituit auxiliarem Emi. ac Rmi. Dni. Cardinalis Francisci Mariae Anatolii de Rovérie de Cabrières, episcopi Montis Pessulanii; cathedr. eccl. Pastopolitanae sac. Leonidam Modina, canonicum eccl. metr. Bogotensis in Columbia; tit. eccl. archiep. Laodicensi rmum. Raphaëlem Scapinelli de Léguigno, iam Secretarium S. Congnis. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; cath. eccl. Desmoinensi sac. Augustinum Dowling, dioec. Providentiensis ibique rectorem eccl. cathedr.; tit. eccl. archiep. Melitenensi rmum. Ioannem Bonzano, rectorem Collegii Urbani de Propaganda Fide; cath. eccl. Valentiniensi sac. Emmanuel Mariam Joseph Martin de Gibergues, archidioec. Parisiensis, Superiorem missionariorum eiusdem dioecesis; cath. eccl. Campecorensi sac. Vincentium Castellanos, secretarium rmi. archiepisc. De Durango.

Brevi autem Apostolico r. p. Franciscus Aguirre ex Ordine Praedicatorum, episc. tit. Botryensis et Vicarius Apostolicps Fokiensis in Sinis nominatus est.

*Nominatio Praefectorum Apostolicorum.* — Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: r. d. Petrus Maria Kernivinen, e seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, Praefectus Apostolicus de Korogo, in Littore Eburneo; r. p. Reginaldus Van Schote ex Ordine Praedicatorum, Praefectus Apostolicus de Uellé Orientali in Congo Belgico.

— Emi. Purpurati Patres Diomedes Falconio, Ludovicus Billot et Gulielmus van Rossum inter iudices S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis adleguntur.

— R. p. d. Ioannes Bonzano, archiep. tit. Meliteni., Delegatus Apostolicus mittitur ad Civitates Foederatas Americae Septemtrionalis.

— Rmus. d. Orestes Giorgi inter Consultores S. Congregationis Consistorialis, et rmus. d. Salvator Talamo inter Consultores S. C. Studiorum adnumerantur.

— Rmus. d. Pius Papi alter a Secretis dicitur S. Congregationis Sacramentorum pro derogationibus matrimonialibus.

— Franciscus Serlupi-Crescenzi, Equiso maior; et Clemens Sacchetti Procurator a supellectili Sacri Palatii renunciantur.

— Rmus. d. Ioannes M. Zonghi ad regendam pro tempore Pontificiam Academiam Nobilium Ecclesiasticorum deputatur.

**Vita functi viri clariores.**

Die IIII mens. Februarii, Romae septuaginta et sex annos natus **Urbanus Sacchetti**, marchio, Procurator a supellectili Sacr. Palat.

— die VI, in Urbe pariter, excusus. vir **Franciscus Sogaro**, archiep. tit. Amidon., Lonigo in oppido Vicentinae dioec. natus die XXXI mens. Decembr. MDCCCLXXXIX; episc. tit. Trapezolitan. electus d. X mens. Iulii MDCCCLXXXV, promotus d. XVIII mens. Augusti MDCCXCIV; Pontificiae Academiae Nobilium Ecclesiasticorum Praeses.

**ANNALES****Novae Sinensis reipublicae fata.**

Quum Sinarum Imperatrix-vidua reipublicae institutioni tandem consensisset, iam res in illa civitate compositae videbantur, eoque magis quod, suadente Yuan-Shi-Kai principe, novarum rerum fautores ad privilegia et honores regali familiae regiaeque aulae administris relinquenda inclinarent, sede iis Ie-Holt in oppido ad Pechinum divateque patrimonio constitutis. Huiusmodi quietis auspiciis popularis civitas est promulgata, eius vexillum, apud exteris quoque ubique gentium Sinensium legationes elatum, et, veluti vinculorum aut servitutis signum contritum, caudilla ex capite civis cuiusque pendens, abradi iussa! Ecce autem ex improviso Mandchenses milites, qui in urbe capite stipendia faciunt, ex condicto rebelles fiunt, districtisque gladiis ferro ignique omnia, quibus occurunt, atrociter vastant. Quid inde? Europaeorum nationum, earum praesertim, quarum cives plures in Sinis commercii causa aut alia ratione morantur, interventus praedicatur, quem talem fore speramus, ut novis rerum complexionibus nullum praebeat aditum.

**In Perside.**

Persico gubernio inter tot discrimina involuto, normae ab Anglis cum Russis consociatis propositae sunt, iuxta quas horum populorum aerarium Persidis necessitatibus erit subventurum. Quae quidem quum recusari haud potuerint, id efficient, hinc ut intra fines tum Anglici tum Russici influxus nulla proinde fiat suprema Persici giminis potestas; inde ut Mohamed Ali ille throno depulsus, sub umbra populi in libertatem vindicandi, novos recuperandi regni conatus sit facile capturus.

**Bellum inter Italos atque Turcas.**

Post aliquot fere indutiarum dies, in quibus supremo belli duci licuit in Italiam redire ut praesens de rerum statu gubernium certiorem faceret,

ac tum Dernae, tum Bengasi atque Tobruk reiecti ab Italibz sunt Turcarum Arabumque nonnulli oppugnationis natus, nostri, ferreis etiam axibus strata via, quam curruum series vapore actorum iam conficit, terminos locorum occupatorum ad Margheb colles usque protulerunt, quibus acerrimo certamine dextramque conserentes potiti sunt. Classis interim in mari vigilat; quumque Turcicas naves duas, alteram ballistariam, ad vibrandas torpedines alteram, Beyruth in littore comperisset, utramque, frustra deditio imposita, demersit.

Denique, postremis hisce diebus, voces de pace agitantur; cuius componendae auctorem dictitant Sazonofium, collegii Russorum administratorum praesidem, eidem accendentibus Anglo, Germanico, Austrorum Gallorumque gubernio. At dictitant etiam nobilibz huiusmodi conatibus Turcas obsistere, praesertim ob vecordem pervicaciam Iuvenum Turcarum factionis, in quam, si incoepitus in vanum cesserit, Europae nationibus illud prophetae repetere iure licebit: «Curavimus Babylonem; non est sanata; derelinquamus eam!».

**PUBLICI PER ORBEM COETUS****legibus ferendis**

In **Anglia** popularium legatorum coetus sessiones resumptae regali oratione, in qua optimae rationes cum ceteris Europae nationibus, Indiarumque pacificus status commemorantur, rogationesque legum discutiendarum nunciantur.

In **Austria** ut de Aehrenthal comiti vita functo in exterarum rerum administrationem succederet, electus est Berchtold comes, praedecessoris sui fidus amicus, ne dicatur discipulus, ac Burian dynastae, aerarii praefecturam abdicanti Von Bialinski doctor suffectus.

In **Bavaria** novum administratorum collegium creatum, praeside Hertling, e Catholicorum partibus.

In **Brasilia** exteris negotiis praeposito, Rio Branco dynastae, et ipsi vita functo, succedit Laurus Muller.

In **Gallia** apud publicum coetum legibus ferendis de comitorum ratione innovanda fuse disputatum; apud Senatum autem pactio cum Germania de Africaniis rebus rata habita.

In **Germania** novi popularium legatorum coetus sessionibus Caesaris oratione inchoatis, rationes acceptorum et expensarum ad examen revocatae. Cancellarius, opportuna occasione arrepta, de amicitiae vinculis cum Anglia arctioribus his diebus effectis sermonem habuit.

In **Italia**, unanimi tum publici coetus, tum Senatus consensu et plausu, regali decreto quo Libyca provincia regno adnectebatur vis legis attributa. Lex deinde de monopolio civitatis ad vitam civium pecunia tutandam approbata.

In **Russia** per oportunas leges fisci tutelae provisum, provincialia consilia pro Siberia quoque instituta, avulsio denique Chelm provinciae a Poloniae Russicae administratione gubernio denegata.

In **Serbia** administratorum collegium, praeside Milovanovitch, munere se abdicavit; rex vero fidentiam suam eidem confirmans, in officio retinuit.

### PER ORBEM

Die II mens. Februarii MCMXI ad Wight insulam mergibilis quaedam navis ex Anglica classi, dum scopi exercitationibus intendit, in ballistariam navem *Hazard* occursat ac disrupitur. Classiarii omnes misere vitam amittunt.

— d. iv, Lutetiae Parisiorum, Franciscus Reiche, sartor, paenulam a se inventam ad casus aviatorum protegendos experiri volens, eadem indutus a turri Eiffel desilit, at suae temeritatis poenam vita luit.

— d. v Montis Politiani in oppido repentina morbo absimitur Caesar Nerazzini, Italorum minister cum omni potestate, vir civilis rei satis peritus, quemadmodum ostendit in negotiationibus, quas an. MDCCCLXXXVI ad pacem inter Italos atque Aethiopes componendam init atque absolvit.

— d. vi loricata Hispanorum navis, cui *Hispania* nomen, El Ferrol in litore, coram Iberorum rege ac regina, feliciter in mare immititur.

Ad Calabrum oppidum Monasterace, antiqua Caulonia urbs detegitur.

— d. viii terrificae inundationes ex Lusitania et Hispania nunciantur.

— d. x De Paranagua marchio, Geographicae Brasiliensis Societatis praeses, vir multarum litterarum, Rivi Ianuarii in urbe moritur.

— d. xi eadem in urbe, sexaginta et septem annos natus, naturae concedit Iosephus Maria de Silva Paranhos, de Rio Branco dynasta, unus ex clarissimis civilibus viris, qui Brasiliense imperium ac deinde Brasiliensem rempublicam sunt moderati. Nunc exteris suae civitatis negotiis praefectus erat.

— d. xiii, S. Remi Italico in oppido, ex improvisa cuiusdam viae ruina, puerorum globus, discipulorum more deambulans, in praerupta decidit. Tirunculorum quinque mortui, quindecim autem graviter vulnerati inde extrahuntur.

d. xviii Vindobonae, septimum supra quinquagesimum aetatis annum agens, supremum diem

obit Aloisius de Aehrenthal comes, politicus ille excellentissimus, qui Bosniacam et Chulmianam provincias sine ulla sanguinis effusione Austriae, patriae suae, acquisivit.

— d. xxii Ranierius, magnus Austrorum Dux, eiusque uxor Maria, adstante Caesare imperialique domo, nuptias, quas adamantinas vocant, feliciter Vindobonae celebrant.

— d. xxii Houston, in urbe septemtrionalis Americae, septem domorum insulae, per longitudinem passuum mille, furente incendio absuntur.

— d. xxv aedes propriae Pontificii Instituti Biblicali sollemni ritu in Urbe inaugurarunt.

— d. xxvi Gulielmus Alexander de Nassau Walram, Luxemburgi Magnus Dux, vita fungitur. Natus erat Biebrich in urbe die XXII mens. Aprilis MDCCCLII. Masculina prole carente, Maria Adelais filia natu maxima, duodevigesimum agens annum, ei in solio succedit.

### AENIGMATA

#### I.

Rite lego: in silvis praestat, perstatque vigore.

Si lego retrorsum, virginis ora tegit.

#### II.

Quinque notas tantum quaeres, mi lector, et istis  
Callidus interpres nomina bina dabis.

Primum nomen habes in messe, et cernis in illo  
Nomen inesse rei, quae bona cuncta parit.

#### DIGAMMA.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:**

#### DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. XIV, n. XII proposita his respondent:

1) **Gaetes;** 2) **Hara-Ara**

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco*. — Ioan. Galbiati, *Mediolano*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Ant. Masia, *Terragona*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — F. X. M., *Drepano*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Petrus Tergestin's - Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Mart. Dunne, *Neo-Eboraco*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisioruia*. — Rich. Brondel, *Bruisis*. — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Raim Silvan, *Londino*.

Sortitus est praemium:

**ANTONIUS MASIA,**

ad quem missum est opus, cui titulus:

#### DIE CHRISTI NATALI PRAEVIA

(Ad exemplar carminis Bohemici C. I. ERBEN, quod inscribitur Stedry Den latine scripsit Fr. PALATA).

**Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus**

**ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.**

# ANTHEA

**(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).**

C. Septimus Cinna, patricius Romanus, emeritis stipendiis inter legiones, quum esset etiam tum integra aetate, Romam reversus est otii fruendi causa vitaeque per luxum ac voluptates agendae, quibus, ut tunc erant tempora, circumfluere dicitibus liceret. Ei nulla deorum opinio erat: philosophiam pro nihilo habebat, bonum, virtutem vacua verba putabat, quibus nulla esset subiecta sententia. Quumque id unum sibi proposuisset, curare se molliter et incundissime vivere, actae ex arbitrio aetatis admirationem iniecit aliquandiu ci-vibus, donec, dissipata re familiari, nihil sibi relictum sensit nisi gaudii lassitudinem rerumque omnium sa-tietatem. Hue accessit animi aegritudo maxima, quaem expertus fuerat antea nunquam. Nam praedives, et, ut iis temporibus, voluptuarius, deliciis omnibus diffuxerat ille quidem, gloriae militaris cupiditatem expleverat, depulso periculo gestiens; idem cum suae aetatis philosophis valde coniunctus facile intelligebat, quos intra fines humanae vis mentis contineretur; artem, poesim admiratione et cultu fuerat prosequutus; in quo denique vita consistenteret, quid eadem polliceri posset apprime tenebat. Nihilominus in iis omnibus perse-quendis magnum aliquid neglexisse sibi videbatur, nec quid illud esset diu cogitanti apparebat.

Postquam animus cum re concidit, Alexandriam profectus est proconsul, itinere nusquam enra vacuo usque Brundusium speque cito deiectus, quam conceperat, fore ut novis rebus videndis iungendisque amicitias tandem aliquando posset mente consistere. Frustra etiam tentavit intermissam Urbis consuetudinem revo-care, seque ingurgitare in voluptates, quibus animum a molestia avocaret. Denique ad ultimam perductus tristitiam, de erienda sibi lucis usura cogitare coepit; iamque rei certum constituerat modum, quum singularis quaedam in somnis obiecta species a diro eum consilio deterruit. Sibi enim visus est cymba amnem traicere et in opposita ripa cernere quasi servae figura-m labore fractae ipsum praestolantis; eandem audire, data reverenter salute, dicentem, se ipsius esse molestiam; processisse ut obviam occurreret. — Tnm pri-mum expavit qui ad nullos casus antea extimuerat, simulque intellectus, si de altera vita cogitare sibi non liceret sine moestitia, hanc etiam post fata comitem futuram.

His pressus augstiis extremum consilium cepit per-contandi philosophos, qui in Serapeo versarentur, si quam forte medicinam afferrent; sed qui difficilem ex-tricaret nodum tolerandi ab ipso doloris exstitit nemo.

Erat eo tempore sapientium facile princeps in civi-tate Timon Atheniensis, vir nobilis atque, ut habebar-  
tur, omni doctrina eruditus institutisque philosophorum abundans. Is, miti ingenio ac peracuto, multis ab an-nis Alexandriae degebat, mysteriis Aegyptiorum cognoscendis intentus. Quem ut Cinna comperit longe alium a ceteris esse philosophis, angustis iis atque ie-

junis, brevi sibi eum arctissimo familiaritatis vinculo adiunxit. Insidebat in animo senis forma quaedam exi-mia humanae vitae ad praecepta rationis componendae, eratque doctrina cum dicendi copia et suavitate con-iuneta. Quibus de rebus etsi magna esset admiratio adolescentis, stupor tamen longe maior iniciebatur ore senis ad ingentem tristitiam composito. Itaque saepe in eo fuit ut ex ipso quaereret causam moeroris, suum-que animum aperiret.

Forte vespere quodam, quum, remotis arbitris, uter-que in peristylio constitisset in mare porrecto, appre-hensa manu senis, adolescentis acerbitas sua virus evomuit, atque:

— Hoc inquit — vitae taedium mihi causa fuit consulendi philosophos. Te fortuna obiecit meae interpre-tem vitae; qui nisi meipsum mihi revelaveris, spem omnem ademeris, parem huic officio praestando quem-quam futurum.

Cui Timon, diu aequor intuitus imminente luna splendescens :

— Notastine — inquit — avium hue a nigris se-ptemtrionibus commigrantium agmina? Quid hiemantes in Aegypto quaerant ignoras?

— Nempe lucem et calorem.

— Hominis quoque mens expetit lucem, quam sola gignit veri inquisitio atque investigatio; ab eodemque calor quaeritur, qui est idem atque amor. Sed inter homines et aves hoc maxime interest, quod his iter ad felicitatem cognitum est atque paratum; illis agitur vita perpetuis curis et anxia dubitatione tristissima.

— Ita plane. Verum quid causae est cur tranquillae vitae degendae viam homines nullam inveniant?

— Quandiu pietas in deos altis stetit fixa radicibus, animorum quietus et placatus status erat. Postquam vero, deorum opinione sublata, religioni, quasi lueernae humore defectae, philosophiam suffecerunt, nulla pars reicta est vitae beatae. Plerique enim, ut scis, philosophorum greges, quum Romae, tum Atheniis, nihil cognosci, nihil sciri posse contendunt, om-nemque veritatem in profundo esse demersam; quos equidem non expetitae tranquillitatis, sed maximae perturbationis esse auctores existimo. Ita fit ut, protensis manibus, per anfractus obscurissimos tentemus egressum.

— Neque adhuc invenisti?

— Mihi quidem tentata res est; non tamen ausu feliciore quam tuo. Nam quum animi securitatem tu in corporis voluptatibus, ego in cogitatione quaererer, caliginem in qua versamur neuter discussit. Nec te solum angi putandum est, sed in te aegrotare animam mundi. Quam multo abhinc tempore opinionem de diis immortalibus abiecisti?

*(Ad proximum numerum).*